

175

1. *Fledermaus* ...

2. *...*

3. *...*

4. *...*


5. *...*

6. *...*

7. *...*

8. *...*





1.
16
2.
3.
4.
5.



1718.

- 1.^o Flacus, Sigism. Andree: De vestitu e pappo in Gallia
imper introducto.
- 1.^o Geringius, Jacobus: Quantum liceat medico ignorantia,
errore et materia acri in ejusdem salutem utri.
2. Hiltigerus, Sigismundus Gallieb: De termino fatali
et defensionibus rerum concedendo.
3. Hmenthold, Frider. Alcuander: Semiscenturia compa-
rationum vere et simulatee de formis philosophiae.
4. Mencke, Lucidius, Fac. jur. ordinarius: Programma,
jur ad ventilationem publicam controversiarum
seculares juris naturalis et gentium, publici,
civilis, penales et canonici . . . inserta.
5. Menckenius, Lucidius: Tractatus synoptica pro-
cerus juris communis et imprimis Saxonici
Electoralis.

1718.

6. Meinkenius, Ludovicus : Foris controversas theoretico-
practicas Reces. 18.

7. Muellemus, Godefridus Polycaepus : De testamento
lato sed non honesto.

8. Olearius, Jo. Fridr. : De universitate usufructuaria

9. Olearius, Joann. Guilielmus : De affectu paterno vstris

10^a =^b Philippus, Priscianus : De vacua possessione

2 Saapl. 1718 : 1741

11. Rechenberg, Conradus Wlo : Regulatum juris privati,
quo utimur, naturalis, Romani, Germanici, sicut
lib 5 tit 7

12. Rechenberg, Conradus Wlo : Institutio nam jurispru-
dentiae publicae S. R. I. Imperii lib 5 tit 1-4.

1718

13. Rechenberg, Cornelius Otto: Insa personarum ea steta,
quem natura, leges, civitas dedit, seu regulas
juris privati, quo utimur, naturales, Romani,
Canonici, patrii lib. I tit. 3-6.
14. Rechenberg, Cornelius Otto: Institutionum jurispru-
dentiae publicae S. R. G. imperii lib. I tit. 5-9.
15. Rechenberg, Cornelius Otto: Institutionum jurisprudentiae
publicae S. R. G. imperii lib. II - lib. III part. post.
tit. 3 et 4.
17. Rechenberg, Cornelius Otto: Regulas juris pri-
vati, quo utimur, naturales, Romani, Can-
onici, patrii, lib. I. tit. 2.
18. Schaefferus, Polycarpus Gualter: De sanitate
19. Schubert, Georgius Adolphus: De consensu agna-
torum et simultanea investitura temporaria
in hypothecam fieri.

1718.

20. Sperbach, Conradus Gottlieb: De obligatione erga ex
ditus.

21. Vant a Sellyburg, Fridericus Conradus: De emolumentis
territeriorum imprimis Germaniae ex jure pro
geniturae descendantibus

1078
1718, 8.
N.
61

DISSERTATIONEM JURIDICAM
DE
UNIVERSITATE
VSVFRUCTVARIA

CONSENSU
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
PRÆSIDE
D. IO. FRIDER. OLEARIO P.P.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT
AVTOR ET RESPONDENS
IOANNES FRIDERICVS ETTMULLER
ZITTAV. LVS.

AD D. XVII. MART. A. MD CC XIII.

LIPSIÆ
LITERIS IMMANVELIS TITII.


DISSSERTATIONEM JURIDICAM
DE
UNIVERSITATE
VSVFRUCTUARIA
CONSENSU
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSISNSI
P R A E S I D E
D. IO. FRIDER. OLFARIO P.P.
FRANCO FRADITIONVM EXAMINI
SVMMI
IN OR
ORDINE
IOHANNES RICHARDVS ETTMULLER
LIPSIAE
MDCCCLXXV

LIPSIAE
LITHEIMANNVS TITL





INTROITVS.



Non possum inficias ire, me Superiorum auctoritate Disputationem conscripturum, ab initio apud animum meum constituiſſe, ut de Univerſitate delinquente agerem. Quem in finem quoque jam plurima collegi, quæ huic instituto meo inſervire poterant. Cum autem in eo eſſem, ut iſti materiæ elaborandæ me applicarem; forte fortuna in manus incidit Diſſertatio Inauguralis a *Dr. Cretſchmer.* in celeberrima Academia *Altdorffina* Anno 1680. conſcripta, quam allegatam legere licet apud *Bechtold.* in *Loc. Com.* voce: *Univerſitas.* Conſilium igitur mutavi, & deliberare cœpi, quodnam Juris Thema mihi eligerem. Hæc abs re fore putavi, ut in juribus univerſitatis diſcutiendis ſollicitus

A

citus

citus essem, & quidem ex instituto disquirerem, quid de Univerſitate uſufructuaria ſit ſentiendum. Cui propoſito inſiſtendo ipſæ leges calcæria addiderunt; quod enim univerſitati uſufructus conſtitui poſſit, ex diverſis legibus ſatis luculenter conſtat. *L. 56. ff. de Uſufr. L. 8. ff. d. Uſ. & Uſufr. leg. L. 23. C. d. SS. Eccl. L. 21. ff. quib. mod. uſ. am.* Quemadmodum vero morte naturali fructuarii finitur uſufructus. *L. 3. §. f. ff. qu. mod. uſ. am.* ita quoque reſpectu civitatis, quæ vix perire poteſt, ſancitum fuit, ut longiſſimo humanæ vitæ ſpatio uſufructus univerſitati relictus extingatur. *c. L. 56. Weſenb. ad Tit. quib. mod. uſufr. am.* Ut autem jura univerſitatis uſufructuaria eo magis innotescant; ita inſtitutum meum proſequar, ut pauca quadam de Univerſitate in genere præmittam, paulo poſt oſtenſurus; a quo & in qua re univerſitati uſufructus conſtituatur, deinde ſollicitus eſſe velim de modis conſtituendi, & qua ratione univerſitas in exercitio uſufructus ſibi competentis verſari debeat, ita ut ſub ſinem modi finiendi hunc uſufructum explicentur. Faxit benigniſſimum Numen, ut hic labor meus ex animi ſententia ſuccedat, & omnia ad ſanctiſſimi Nominis ſui gloriam & proximi utilitatem eveniant!

DIS-

DISSERTATIO
DE
VNIVERSITATE VSV-
FRVCTVARIA.

I.



Eminem latere potest, in jure in-
prijis publicæ utilitatis rationem ha-
beri, ita ut publicum privato sit
præferendum. l. 3. C. d. Primip. Auth.

*Utilitas publi-
ca quocunque
modo est præ-
mouenda.*

*Que res C. Comm. d. Leg. Gloss. in L.
1. ff. sol. matr.*

Hinc quoque ob
publicam utilitatem a regulis juris communis vice plus
simplici receditur. l. 51. §. 2. ff. ad L. Aqu. Köppen. dec. 59.
Borell. d. Magistr. Edict. L. 2. c. 7. Quod luculen-
tis argumentis necessitate id exigente facile demon-
strari potest. Enim vero licet alias minorenes in fi-
gni favore gaudeant; cedit tamen hic commodo rei
publicæ, ita ut prædiis ob publicas pensitationes a fi-
sco solenniter distractis restitutio nulla locum obti-
neat. l. 1. §. 2. C. si propt. pub. pens. l. 3. §. 5. C. d. Fid. §.
jur. hast. Fisc. Elbert. Leorin. L. 3. Emend. 3. n. 15. Nec
iniquitatis hoc argui potest, licet enim jura ad bonum
& commodum commune sint dirigenda; præcipue ta-
men ea ad publicam utilitatem attendunt, & commu-
nem salutem promovere annituntur. Fortun. Garcia in
rep. L. 1. §. hujus studii. n. 12. ff. d. F. §. F. Ut ne autem
extra oleas vagari videamur; ad Thema nostrum e-
stigio



4 DISSERT. DE VNIVERSITATE

ftigio convertimur, univerſitatis uſufructuariæ jura explicaturi.

Vox univerſitatis explicatur.

II. Quid per univerſitatem intelligatur, neminem latere poteſt, qui vel primis labris Jurisprudentiæ monimenta deguſtaverit. Univerſitatem igitur Gemnianus in *c. 5. d. Sent. Excomm. in 60.* deductam eſſe putat ab univerſo, & univerſum dictum quaſi in unum verſum, cum ſcilicet plures habeant jus vel cauſam communem; ut faciant univerſitatem. In plurali igitur dicta vox ſignificat omnes conjunctim. Interdum tamen voce: *univerſi*, veniunt omnes & ſinguli, non univerſi collectivè. conf. Aur. Bull. *c. 1. §. 2. 9. 22. c. 2 §. 5. Limn. ad Aur. Bull. c. 1. §. 7. Obſ. 2.* Silentio vero non eſt prætereundum, vocem, *univerſitatis*, in jure diverſas admittere ſignificationes. In generaliſſimo ſenſu tam ad res quam ad perſonas refertur. Loſæus *d. Jur. Univ. P. 1. c. 1. n. 2.* Beſold. *in Delib. Jur. L. 3. qu. 24.* Diftingvendum igitur eſt inter univerſitatem rerum & perſonarum. Illa ad res extenditur, & dicitur univerſitas rerum. *l. 1. pr. ff. d. R. V. conf. Cicer. d. Nat. Deor. c. 43.* Univerſitas bonorum. *l. 1. §. 1. ff. quor. bon.* Omne jus quod defunctus habuit. *l. 3. pr. ff. d. bonor. poſſ.* ita ut interdum ad gregem & armenta applicetur. *l. 70. §. 3. ff. d. Uſufr.* Quod ad univerſitatem perſonarum attinet, hæc eſt corpus ex diſtantibus perſonis unitum & collectum, communibus Legibus ad communem utilitatem utens. *l. 1. §. 1. ff. Quod cuj. univ. nom.* Vocatur quoque communitas. *l. 37. ff. d. Jud. l. 6. §. 2. ff. d. Excuf. Tut. Avib.* Item nulla *C. de Epifc. & Cler.* Quod Germanico idiomate dicitur:

tur: **Eine Gemeinde.** Academia quoque dicuntur universitates, quia totum Professorum & Studioforum corpus formam habet universitatis; aut quia studia, quae ibi tractantur, universis proposita & publica sunt. Petr. Gregor. *d. Rep. l. 18. c. 1. n. 7.* Jac. Middendorp. *d. Acad. l. 1. c. 1.*

III. Statim in oculos incurrit, nos de universitate personarum agere. Huc igitur referuntur territoria. *l. 239. §. 8. ff. d. V. S.* Civitates, castra, pagi. Franc. Marc. *l. Dec. qu. 366. n. 16.* item Collegia. *Besold. Diss. d. univ. c. 8. n. 2. in fin.* Ex dictis vero sponte sua sequitur, sociis in societate viventibus jura universitatis non competere. *conf. Dn. Reinh. Diss. d. Incaut. contr. cum univ. §. 9.*

*Hic agitur de
Universitate
Personarum.*

IV. Cum igitur universitates jure singulorum utantur, & privatorum loco esse censeantur juxta Caejum in *l. 16. ff. d. V. S.* hinc tanquam personas mysticas eas considerari patet, quia civiliter pro una persona habentur ex pluribus intellectu seu jure abstracta. *L. 22. ff. d. Fidej. l. 2. ff. quod cuj. univ. nom.* Quapropter Aristot. *L. 3. Pol. c. 7.* universitatem esse contendit instar unius hominis, qui multos pedes, multas manus, multosque habet sensus, uti refert Thoming. *Dec. 33. n. 3.* & Reusner. *2. Conf. 27. n. 33.* Aliud tamen est ipsa universitas, aliud sunt singuli in ea homines. Roland a Valle *Vol. 3. Conf. 53. n. 6.* Joh. Gædd. *Vol. 2. Consil. Marpurg. 39. n. 131.* ita ut universitas per quandam fictionem & representationem dicatur persona & corpus compositum ex singulis de universitate. *L. 10. §. 4. ff. d. in jus voc. Dn. Brünnem. Conf. 161. n. 10. 17.* Inde quoque

*Universitates
privatorum
loco habentur.*

universitas eadem manet, licet in personis plurimæ mutationes factæ fuerint. *L. 7. §. 2. ff. quod cuij. univ. nom.* Cum igitur Communitates instar privatorum considerentur; inde sponte sua sequitur, quod illæ tum active tum passive obligentur. Quæ nam vero solemnitates hac ex parte sint necessariae, ut universitas cum effectu contrahat, hic brevitatis causâ nos remittimus ad Dd. qui hanc materiam satis prolixè excusserunt, conf. Dn. Stryck. *in Caut. Contr. S. 1. c. 3. §. 13. & S. 2. c. 1. §. 3. seqv.* Dn. Reinh. *d. Incaut. cont. cum univ. S. 2.*

Singularis fa-
vor communi-
tatum propo-
nitur.

V. Utcunque fit, licet universitates privatorum loco habeantur. *c. l. 16. ff. d. V. S.* ita ut contra civitatem quoque filiofamilias mutuum dantem locum habeat SCt. Maced. *l. 15. ff. ad SCt. Maced.* Lauterb. *Coll. Pract. c. 1. Th. 6.* Wissenb. *V. 1. D. 28. Th. 29.* Id tamen nullum dubium patitur, universitates in pluribus juris articulis meliøre gaudere conditione. Ita enim mutuo cum civitate contracto, pactum, quo usuræ promittuntur, obligationem inducit. *l. 30. ff. d. Usur.* ita ut hæc lex non pacto sed personæ faveat, ut eleganter monet Dionys. Gothofr. *ad c. l. lit. Z.* nec minus in causâ præscriptionis communitatibus singulare jus indulgentium fuisse contendunt, cum non nisi quadragenaria præscriptio contra easdem allegari valeat. *Nov. CXI. cap. 1.* conf. Stryck. *in Annot. ad Lauterb. 1. d. Usurp. & Usucap. voce: civitas.* Schilt. *ad Inst. L. 2. T. 6. aph. 9.* Quod tamen jure meritoque nobis fundamento destitui videtur, ita ut ob deficiens privilegium jure civili in rebus Civitatum præscriptio 30. annorum sufficiat. *a. L. 3. C. d. Præscr. 30. vel 40. ann. L. 9. ff. d. Usuc. quam sen-*

sententiam quoque Legislator Saxonicus amplexus fuit, quod scilicet præscriptio 31. ann. 6. Sept. & 3. dier. sufficiens declaretur. *P. 2. C. El. 6. ibique Carpz. D. 6. Conf. Dn. Menck. Tr. Syn. Pand. tit. d. Usurp. & Usuc. p. m. 515.* Ut silentio præteream, universitates ad exemplum minorennium in integrum restitui. *L. 3. C. d. Fur. Reip. L. 4. C. Ex quib. caus. maj. in integ. rest. Struv. Ex. 8. Th. 6.* Nec eorum sententiæ calculum addere possumus, qui autumant, dictis legibus hoc beneficium restitutionis in integrum soli Reipublicæ Romanæ concessum fuisse. *a. L. 13. §. 1. ff. d. Publ. & Vect. cum ob legem indistincte loquentem & eandem rationem reliquæ universitates & collegia excludi nequeant. L. 32. ff. ad Leg. Aquil. l. 8. ff. d. Publ. Act. Gail. L. 2. Obs. 62. n. 4.* Nec minus favor universitatum in eo elucescit, quod usufructus eisdem ad longissimum usque vitæ humanæ terminum, qui centum demum annis expirat, duret. *L. 56. ff. d. Usufr.*

VI. Nunc dispiciendum est, quo sensu universitas dicatur usufructuaria. Ex Juris Systematibus unicuique satis innotuit, quid sit usufructus, inde dividiæ fore existimamus, ut scrinia compendiorum juris prolixè expilemus. Nostro instituto sufficiens fuerit, hoc loco admonuisse, quod, sicuti usufructus simpliciter etiam fructus appellatur. *L. 14. §. 1. ff. d. Usufr. & hab. l. 33. pr. §. 1. l. 57. §. 1. ff. d. Usufr. l. 11. ff. d. Usufr. accr.* ita etiam usufructuarius dicatur fructuarius. *L. 2. l. 4. ff. Usufr. quem. cav.* Quod nomen interdum quoque rebus, in quibus usufructus constitutus est, tribuitur; ita servi fructuarii mentio fit in *L. 12. in fin. l. 22. l. 25. in pr. §. 1. ff. d. Usufr.*
Instar privati
universitas
usufructuaria
esse potest.

nec

§ DISSERT. DE VNIVERSITATE

nec minus fundus fructuarius appellatur. *l. 1. l. 5. §. 1. ff. Si ususfr. per.* Imo stipulationi quoque ab usufructuario præstandæ hæc denominatio applicatur. *l. 4. in fin. ff. d. V. O.* Certi igitur & indubitati juris est, quod universitas instar personæ privatæ usufructuaria fieri possit. Quæ occasione id neutiquam silentio est prætereundum, usumfructum tantummodo constitui posse Collegiis & universitatibus licitis, illicitæ enim & prohibitæ nec actu mortis causâ nec quocunque alio modo quicquam capere possunt. *l. 8. C. d. Her. Inst. Tholosân. l. 42. t. 35. n. 15.* Illicitum quoque Collegium esse censetur id, quod publica auctoritate legitime non fuit confirmatum, ita ut illiciti Collegii constitutio involvat crimen extraordinarium & plane incidat in crimen Majestatis, quoties seditiosi homines contra securitatem Reipublicæ convenire religioni sibi non ducunt. *l. 2. ff. d. Colleg. l. 1. §. 1. ff. ad L. Jul. Maj. conf. Magnif. Dn. Menck. Tract. Syn. Pand. t. d. Colleg. p. 649. Jaf. in l. 8. C. d. Her. Inst.*

Non tantum
iudex sed quo-
que privati
usumfructum
constituere
possunt.

VII. Universitati usumfructum non tantum iudex, sed privatæ quoque sortis homines constituere possunt. Quod ad iudicem attinet, hic eum in iudiciis divisiis, Familiæ herciscundæ & communi dividendo constituit. Enim vero, re commodam divisionem non permittente, iudex ex officio alteri usumfructum, alteri proprietatem ejus recte adjudicat. *§. 3. 4. J. d. Off. Jud. l. 16. §. 1. ff. Fam. herc. l. 6. §. 10. ff. Comm. div.* ita ut Communitas hoc casu quoque actionem confessoriam instituere possit, quia adjudicationis eadem vis atque potestas est, quæ Legis Ulpian. *tit. 19. §. 11.*
Hopp:

Hopp. *Comm. ad Inst. tit. d. Off. Jud. §. f. voce: Id statim ejus fit.* Privatis quoque permitti, ut totis universitatibus atque Collegiis usumfructum constituent; extra omnem controversiæ aleam positum est, cum unusquisque rei suæ sit liber moderator & arbiter. *l. 21. C. Mand.* nec hic distingvendum est, utrum quis verum, an vero fictum dominium tantummodo habeat. *l. 11. §. 1. ff. d. Publ. in rem Action.* five in solidum sit rei dominus, five pro parte tantum. *l. 9. §. ult. & l. 10. ff. Usufr. quem. cav.* modo alienare possit. *l. ult. C. d. Reb. alien. non alien. l. 3. §. 5. ff. d. Reb. eor. qui sub Tut.* E diverso a Domino minus pleno, qualis est Emphyteuta, ususfructus constitui nequit. Quamvis autem hæc constitutio jure civili non subsistat, tuitione tamen Prætoris sustinetur. *l. 9. §. 1. ff. Usufr. quem cav. l. 1. §. 9. ff. de Superf. conf.* jam supra laudatus Jctus Dn. Menck. in *Tr. Syn. Pand. tit. d. Usufr. p. 128.* Quid vero eo casu sentiendum est, si Vasallus vicinæ universitati usumfructum in Feudo constituere animum induxerit? Utrum hoc ei permittendum sit nec ne, ulro citroque ancipiti Marte disputari potest. Negativæ ad stipulaturi sententiæ hic provocare possunt ad *2. F. 52. & l. f. C. d. Reb. alien. non alien.* Nulli tamen dubitamus in agentium concedere hypothesin. *a. 2. F. 8. vers. rei autem §. 1. F. d. Us. & Hab.* Licet enim Vasallus ipso jure utilis dominii se abdicare nequeat; nihil tamen obstat, quo minus facultatem percipiendi fructus ex feudo ad alium transferre valeat. Rosenth. *c. 9. M. 1. Concl. 10. n. 5.* Talis tamen ususfructus a Vasallo universitati constitutus tantum

B

ad

ad dies vita valebit; resolutio enim jure dantis, resolvitur etiam jus accipientis. conf. Dn. Stryck. *Exam. Jur. Feud. cap. 10. qu. 13.* Diff. Ludwell. *Syn. Feud. c. 15. p. 305.* Struv. *S. J. F. c. 12. a. 7. n. 2.* Vafallo quoque ex fructibus tantum relinquendum est, ut servitia Feudalia commode præstare possit. Kohl. *d. Serv. Feud. P. 1. n. 78.* ne jus Domini deterius fiat. Carpz. *P. 2. C. 25. d. 6.* Alias ab univèrsitate usufructuaria servitia præstanda sunt. Dn. Stryck. *c. l. qu. 14.* Nec denique sententiæ nostræ supra citati textus repugnant. *2. F. 52. §. l. f. C. de Reb. alien. non alien.* cum ea tantum alienatio Vafallo sit interdîcta, quæ domino directo & successoribus Feudalibus præjudicium infert. Quod tamen nostro casu vix ac ne vix quidem asserendum venit. conf. Dn. Hornii *Jpr. Feud. c. 10. §. 8.*

*Univèrsitas
usufructum
concedere potest.*

VIII. Supra prolixius deductum fuit, univèrsitates juxta Cajum jure privatorum uti. *l. 16. ff. d. V. S.* An igitur univèrsitas quoque tanquam persona privata consideranda est, cum usufructum in bonis suis alteri constituere velit? Quod omnino affirmandum est, quia univèrsitas ut quilibet privatus de rebus suis disponere potest. *l. 21. C. Mand.* Conf. Dn. Richt. *d. Univ. c. 1. §. 9.* Res enim univèrsitatum non sunt hodie simpliciter extra commercium. Dn. Stryck. *d. Caut. Test. S. 1. c. 3. §. 13.* interim tamen hac ex parte caute procedendum est. conf. *L. 3. C. de Vend. Reb. Civit.* Qui textus non tantum in venditione observandus est, sed occasione cujusvis alienationis auctoritatem exerit. Losæus *Tr. d. Jur. Univ. P. 3. c. 5. n. 13.* Ludovic. *Dec. 93.* ita ut horum

horum bonorum ratio propemodum ejusdem indolis sit cum bonis Ecclesiæ, utpote cum quibus sæpe civitatum bona comparantur. *l. 23. C. d. SS. Eccl.* Cum igitur usufructus constitutio sit species alienationis. *L. f. C. d. Reb. alien. non alien.* ita ut translatio fructuum cum transitu ipsius possessionis sit conjuncta. *a. 2. F. 55. pr. C. §. 1. l. 12. ff. de Acquir. vel Am. Poss.* hinc prono alveo sequitur, quod hoc quoque casu justa causa accedere debeat, & certæ solennitates requirantur. *j. cit. l. 3. C. d. Vend. Reb. Civit.* Quod si igitur solennitates ritè non sint observatæ; alienatio vitio nullitatis laborat. *conf. Mantic. d. Tacit. C. ambig. Convent. 1. §. n. 13.* Nec universitates istis alienationis solennitatibus renunciare possunt. *a. l. 38. ff. d. Pact. conf. Joh. a Sande. d. Prob. Rer. alien. P. 1. C. 7. n. 11.* Instituti vero nostri ratio non permittit, ut elegantem hanc materiam latius deducamus; potius nos remittentes ad Dn. Stryck. beatæ recordationis, qui in *Diff. d. Alien. rer. atque bon. civit. Occasione l. 3. C. d. Vend. reb. civit. cap. 4.* quæstiones huc spectantes solide explicuit. *conf. Dn. Reinh. d. Incaut. Contrab. cum univerf. S. 2. n. 33.*

IX. Quod ad Prælatos Ecclesiæ attinet, usum fructuum universitatibus in bonis Ecclesiæ tribuentes; hæc usufructus constitutio Ecclesiæ nocere nequit. *conf. Barbosa. Sac. Apost. Dec. extra jus commune vagant. Coll. 19. n. 2. 3. 4. 5. 8. C. in Coll. ad c. 5. X. de Reb. Eccl. alien. n. 10.* Dn. Bod. *d. Alien. Bon. Eccl. §. 16.* nisi causæ cognitio præcesserit. *conf. Redoan. d. Reb. Eccl. non al. qu. 23.* prætereaque Consistorii vel Capituli consensus non est negligendus. *c. 1. d. Reb. Eccl. non alien. in 6. Art.*

Utrum Ususfructus constitutio ab Ecclesiæ Prælatibus fieri possit.

Gen. 28. Brunnem. ad Avrb. Hoc jus porrectum C. d. S.S. Eccles. n. 12. sequ. Coniunctim igitur requiritur tum solennitas tum causa alienationis iusta. *a. c. 1. d. Reb. Eccles. non alien. in 6. Pyrrh. Corrad. Prax. Dispens. Ap. L. 9. c. 1. n. 17.* Ob difficultates hasce monitum fuit a Dd. cavendum sibi esse a contractu cum Ecclesia tanquam re pestifera & perniciosissima. Willhelm. Anton. a Freudeb. *d. Refcr. Morat. Concl. 32. n. 14.* Quid vero hac ex parte sit observandum; id accurate explicatum legere licet apud Dn. Stryck. *Caut. Contr. S. 1. c. 3. §. 8. 9. 10. 11. conf. supra allegata Diff. Dn. Bodini d. Alien. Bon. Eccl. §. 19.* Qua occasione haud abs re fore putamus, ut disquiratur, quid juris sit, si Prælatus universitati feudum in bonis Ecclesiæ constituere velit. Ita enim quoque universitas quodammodo fit usufructuaria ratione utilitatis, quo sensu interdum Dd. Feudum ita describunt, quod sit usufructus quidam. Wurm. *d. Feud. Impr. Class. 1. S. 2. n. 5.* Stryck. *Exam. Jur. Feud. c. 2. qu. 13.* Dn. Horn. *Jurispr. Feud. c. 2. §. 7.* Hac ex parte vero distingvendum est inter res infeudari solitas & non solitas. In illis Prælato omnino libera facultas concessa est, ita ut solennitates Canonicae non sint necessariae. Rosenth. *d. Feud. c. 4. Concl. 31. n. 35.* Gail. *L. 2. Obs. ult.* E diverso intuitu rei infeudari non solita exigitur causa cognitio atque consensus Capituli. *1. F. 1. pr. Andr. Vall. Paratir. d. Reb. Eccles. alien. v. non §. 3. n. 2.* Struv. *S. F. F. c. 5. th. 9. n. 2.* ita tamen, ut priore quoque casu non possit aliis conditionibus res in feudum dari, quam antea data fuit. *11. F.*

108. cap. 2. X. d. Feud. c. 4. s. X. d. His quæ sunt a Præl. Dn. Horn. *Jurispr. Feud. c. 5. §. 5.* Cumque Capitulum fede vacante fungatur vice Episcopi. cap. 2. X. Ne sed. vac. nullum superest dubium, quominus quoque in hoc casu eodem jure utatur. cap. 14. X. d. Maj. & Obed. Ziegl. ad Lancell. L. 1. t. 21. §. 7. conf. Dn. Georg. Godofr. Schvendendörf. beatæ memoriæ in *Diss. Inaug. d. Sed. Episc. Vacant. Th. 8. §. 2. II.*

X. In quibus vero rebus universitati ususfructus constitui possit; nunc dispiciendum est. Cum igitur ususfructus admittat omnes res alienas corporales fruiioni accommodatas. *pr. F. d. Usufr. l. 2. ff. d. r.* Sive sint res mobiles sive immobiles. *l. 3. pr. & §. 1. ff. d. Usufr.* ita ut quoque omnium rerum ususfructus tribui possit. *l. 29. ff. d. Usufr.* conf. *Præl. Dissert. d. Usufr. omn. Bon. Legat. §. 17. 18. sequ.* Hæc quoque intuitu universitatis omnino ita se habent. Quamvis autem hoc censu eximantur res incorporales, ut sunt servitutes, quarum nullus ususfructus esse dicitur. *l. 1. ff. d. Usu & Usufr.* Servitus enim servitutis esse nequit. *l. 1. l. 33. ff. d. Servit. Præd. Rust.* Nihilominus tamen servitutis usufructu alicui relicto, hic ex æquo & bono subsistit. *l. 1. in fin. ff. d. Usu & Usufr.* Quapropter nihil obstat, quo minus universitati jurisdictionis ususfructus in mulctis & pœnis consistens tribui possit. *l. 7. §. 10. ff. Comm. div. cit. Diss. d. Usufr. omn. bon. leg. §. 18.* Imo cum SCro cautum fuerit, ut omnium rerum, quæ in bonis sunt, ususfructus legari possit. *l. 69. ff. ad L. Falc.* nullum dubium excitari potest, quin ususfructus etiam in illis rebus, quæ fungibiles sunt, &

Quæ nam res hunc usumfructum admittunt?

usu consumuntur, civitati aut universitati constitui possit. Tales res enim sunt in commercio hominum, ita ut non tantum legari possint. §. 2. *F. d. Usufr.* sed quoque per modum contractus talis usufructus transferri valeat. Meier in *Coll. Arg. d. usufr. ear. rer. Th. 2.* Nec huic sententiæ obstat. *l. 1. 2. 3. ff. de Usufr. ear. rer.* ubi tantum asseritur, quod quasi usufructus legetur; ceteri tamen modi neutiquam exclusi fuerint. Hopp. in *Exam. Inst. tit. de Usufr. qu. 15.* conf. Richt. *Diss. d. Quasi Usufr. c. 3.*

Sermo fit de Feudo, Domani-
alibus & Re-
galibus.

XI. Cum supra in §. VII. prolixius jam disputatum fuerit, quousque Vasallus in Feudo universitati usumfructum constituere possit; hac occasione tantum adhuc vel tribus verbis monere licebit, sub usufructu omnium bonorum communitati concessio feudum nequaquam comprehendi, nam sub generali dispositione Feuda non veniunt. *2. F. 26. §. in gener.* Gars. *Matrill. L. 1. Dec. 86. n. 1.* Burf. *Conf. 295. n. 29.* Sed hac occasione difficilior quæstio exurgere videtur, quid juris sit, si in bonis domanialibus a Principe universitati usufructus tribuatur? Cum igitur hæc bona in patrimonio totius Reipublicæ existant, & perpetuæ utilitati & sustentationi Principum inserviant. Grot. *d. Jur. Bell. & Pac. l. 2. c. 6. §. 11.* eorum alienatio non admittitur, nec subsistit, licet jurejurando Principis sit confirmata. *cap. 33. X. d. jurejur.* Quapropter nec usumfructum in iis Princeps universitati in præjudicium Reipublicæ constituere potest. *L. f. C. d. Reb. alien. non alien.* nisi forsitan justa ac necessaria causa id permittat, quæ salu-

filuberrimo instituto exprimenda est, ut ne succes-
 sor hunc usumfructum tractu temporis revocare
 possit, quod ipsi alias licere probavit Brunnem. *Conf.*
12. n. 157. conf. Diff. Dn. Seidel. d. Sacr. Doman. jur. Afferi.
12. n. 1. Inprimis universitas tunc usufructu in bonis
 domanialibus constituto gaudebit, si Statuum con-
 sensus accesserit. *conf. Nevizan. Conf. 12. n. 157. Menoch.*
Conf. 426. n. 28. Dn. Reinh. d. Incaut. Contrab. cum uni-
vers. S. 2. §. 32. Joh. Bodin. d. Rep. l. 1. c. 8. n. 2. Secus autem
 res se habet cum bonis Principis, quæ ut privatus pos-
 fidet, de quibus liberrime disponere valet. *l. 1. 2. ff. d.*
Fur. Fisc. l. 3. c. d. bon. vac. Quæ res propria Principis sub-
stantia appellantur. l. 3. §. 1. C. d. Quadriem. Præfer. item
bona in formam patrimonii redacta. l. 9. §. ult. ff. d. Le-
gat. 1. ac res dominicæ. l. 9. C. d. Fur. Fisc. l. pen. §. ult.
C. d. Fund. rei patr. Joh. a Sande d. Prohib. rer. alien.
c. 6. §. 3. Quibus bonis olim præerat Procurator Cæsaris.
l. 1. ff. d. Off. Proc. Cæs. qui alias procurator rei privatae
& procurator rei dominicæ appellatur. l. pen. C. d. Conv.
Fisc. Debit. l. 3. C. d. Bon. Vac. Barnab. Briffon. l. 3. Select. An-
tiquit. c. 20. Arum. d. Fur. Publ. Disc. 15. th. 69. In dictis
 bonis Principem universitati alicui usufructum lar-
 giri posse, nullum dubium superest. Non possumus
 non hic meminisse Regalium, de quibus agitur. *2. F.*
56. Struv. in Syntagm. Fur. Civil. Ex. 3. Th. 78. Myler.
d. Princ. & Stat. Imper. p. 1. c. 33. n. 26. Principis igitur
 voluntate in iisdem usufructum universitati per-
 mitti posse, nemo inficias iverit. Cum autem Rega-
 lia in privatorum arbitrio non sint reposita; inde
 quoque certi & indubitati juris est, non posse in
 iisdem

iisdem a privato universitati usumfructum constitui nisi Principis consensus accedat. Grot. *d. Jur. Bell. & Pac. l. 1. c. 4. §. 10.* Dn. Schvend. *d. Acquis. Regal. c. 3. §. 7.*

Quousque bona familiae admittant usumfructum.

XII. Quod si in bonis familiae, quae ex jure Majoratus ad Seniores pertinent, universitati ususfructus sit constitutus, is successorem Feudi agnatum haud obligat. a. 2. F. 45. Richt. *Dec. 81 n. 11.* ad hunc enim bona familiae tanquam seniores, non tanquam haeredem, perveniunt. Uti hoc in simili casu egregie explicavit Magnif. Dn. Menck. *in Tr. Syn. Pand. l. 19. r. 2. Locat. Conduct. p. 274.* Insigne exemplum institutionis Majoratus in familia Baronum de Schullenburg sistit Dn. Stryck. *in Caut. Testam. in App. n. 12.* Ratio vero in eo consistit, cur in praedictum Successoris universitati in dictis bonis nullus constitui possit ususfructus, quia alienatio bonorum familiae non est permessa, praetereaque haec bona ad decus & splendorem familiarum illustrium conservandum sunt destinata. Qui finis vix ac ne vix quidem obrineri posset, si cuilibet possessori de iisdem pro lubitu disponendi facultas permetteretur. conf. Knipfchilt. *d. Fideicomm. Fam. c. 11. n. 1.* Hondedæus *l. 1. Conf. 33. n. 19.* Cum imprimis in nostro casu id bene sit attendendum, ususfructum universitati competentem per totos 100. annos durare. *l. 56. ff. d. Usufr.* Qua ratione igitur successor in bonis majoratus obnoxiiis, successione ad eum devoluta, per tantum temporis intervallum jure sibi quaesito privari poterit? Cum ne quidem locatio longi temporis iis, qui ex jure majoratus succedunt, praedictum aliquod in-

inferre possit. *Petra d. Fideicomm. qu. 8. n. 31. sequ.* *Peregrin. d. Fideicomm. art. 40. n. 106. sequ.* Et quidem Dd. istam rationem allegant, quia locatio ad longum tempus facta juxta receptam Pragmaticorum opinionem est species alienationis. *Fusar. d. Fideicomm. Substit. qu. 225. n. 3. conf. Dn. Stryck. d. Jur. Success. in Revoc. Bon. Fam. §. 24.* Licet igitur in aliquo majoratu clausula prohibita alienationis deficiat, ea tamen pro expressa haberi debet, quia hæc est indoles bonorum majoratus. *Ant. Gabriel. L. 6. Commun. Opin. t. d. Consuetud. Conclus. 1. n. 1. sequ.* *Melchior Pelaez a Meres d. Majorat. §. Melior. Hispan. P. 4. qu. 1. n. 1.* Cujus auctoris dicta *c. 1. n. 73.* etiam nostro casui satis commode applicari possunt. Imo ne quidem Princeps potest concedere facultatem quocumque modo alienandi bona Majoratus, quoniam Princeps nemini jus suum auferre potest. *L. 4. C. d. Emanc Lib. Knipsch. d. Fideicomm. Fam. c. 11. n. 215. Cravett. Conf. 5. n. 4.* Huc spectant verba *Capit. Joseph. art. 3. Fürsten, Prälaten, Grafen, Herren und Ständen samt der unmittelbaren freyen Reichs Ritterschafft bey ihren Hoheiten, geist- und weltlichen Würden, Rechten, Gerechtigkeiten, Macht und Gewalt, auch sonst ieden nach seinem Stand und Wesen verbleiben lassen, ohne unsern und männiglichs Eintrag und Verhinderung.* Et quidem hæc quæ monita fuerunt, in nostro casu eo magis extra omnem controversiæ aleam posita sunt, cum bona Majoratus in favorem certæ familiæ ab ipso Principe confirmata fuerint. *conf. Dn. Stryck. Diff. supr. cit. §. 26.*

*Ad Fidei-
comm. Fam. &
ad dorem fit
applicatio.*

XIII. Plures alia quæstiones notatu dignæ sub incudem disputationis revocari possent; cum sollicitissimus, in qua re universitati usufructus constitui valeat. Amplissimus enim campus hic se aperit, quo usque in Fideicommissis Familia universitatis usufructus locum habeat, nec minus quid in re dotali hoc respectu juris sit; ut alia juris capita hac occasione explicanda silentio prætermittamus. Cum autem ex jam præsuppositis principiis sponte sua hæc decidi possint, prætereaque a Dd. istæ quæstiones jam satis superque discussæ sint; Lectori omnino tædio fore existimamus, cum nimis sollicito studio patientia ejus abuti velimus.

*Universitates
acquirunt
usumfructum
per actum in-
ter vivos.*

XIV. Nec difficile dictu erit, qua ratione toti universitati atque Collegio usufructus constituatur. Vice plus simplici enim dictum fuit, universitates jure singulorum uti. *l. 16. ff. d. V. S.* Neutiquam vero ex Juris Systematibus prolixius in medium proponere animum induximus, quomodo tum per actum inter vivos tum per actum mortis causa usufructus tribuatur. Tantummodo ea huc applicare licebit, quæ nostro instituto respectu universitatis usufructuaria inserviunt. Conventionibus igitur, pactis & stipulationibus Communitati usumfructum constitui posse, nulli plane dubio suppositum est. *§. 1. Inst. d. Usufr. l. 3. ff. eod.* Imo hoc casu nostro cum administratoribus contrahere licet, ut universitatibus usufructus acquiratur. Conf. Bart. in *l. 7. ff. Quod cuj. univers. nom.* Hinc olim quoque, quod per ordinem Decurionum communi civitatis nomine gestum fuerat, rescindi prohibetur in *l. 5.*

l. 5. ff. d. Dec. ab Ord. fac. Imo si pactum Magistri Collegio, cui præest, & profit & noceat juxta *l. 14. ff. d. Pact.* Cur quoque non universitati ex facto administratorum ususfructus utilitatem afferat? Bologn. in *l. 27. ff. d. Reb. Cred. n. 15.* Dn. Reinh. in *Diss. d. Incaut. contr. cum univ. S. 11. §. 8. 9. 10.*

XV. Ultima voluntate quoque universitas ususfructum acquirit. Enim vero Jure Civili ex testamento & aliis ultimis voluntatibus succedit non tantum tota universitas, sed & certa pars ejusdem. *l. 32. §. f. ff. d. Leg. 1.* Sive eidem relinquatur tota hæreditas, sive pars, legatumve. *l. 1. §. l. 23. C. d. SS. Eccl.* ita ut quoque Jure Prætorio delatam bonorum possessionem agnoscere possit. *l. 3. §. 4. ff. d. Bon. Poss.* Imo si ususfructus toti corpori vel determinatæ ejus parti sit relictus, vel etiam civitatis alicujus civibus in genere; ad universitatem tamen pertinebit. *l. 2. ff. d. Reb. Dub.* Ast vero quid tunc sentiendum erit, cum ususfructus ejusdem administratoribus in testamento constitutus fuerit? Quo casu omnino bene distingvendum est, utrum hoc factum fuerit respectu universitatis; an vero testator ad percepta ab administratoribus merita oculos converrerit, ita ut proprium nomen eorum expresserit. Priore casu ususfructus est totius universitatis; posteriore vero casu administratores eodem defraudari nequeunt, ita ut ususfructus tanquam singulis relictus esse existimetur. Bart. *ad c. l. 2. ff. d. Reb. dub. conf. Dn. Richt. d. Univ. ejusd. var. Spec. & jur. c. 3. §. 6.* Qua occasione haut abs re fore putamus, ut disquiratur, quid tunc juris sit, cum uni-

Ultima voluntate ususfructus constituitur.

versitati usufructus ultima voluntate sit relictus, alia autem universitas, hærede non existente jure Fisci in bona defuncti vacantia succedat? Quo casu utique universitas jure Fisci succedens, hæredis loco habetur, ut alteri universitati Legataria usufructum præstare necesse habeat. *a. l. 114. §. 2. ff. d. Leg. 1. N. 1. c. 1. Rittershus. ad L. 2. ff. d. Her. Inst. Ludwel. Ex. 10. Th. 5. l. 2. Hillig. ad Donell. L. 9. c. 1. tit. 5.* Nec veritatem hujus asserti destruere potest *l. 9. ff. d. Test. Tut.* ubi dicitur: *Si nemo hereditatem adierit, nihil valet ex his, quæ testamento scripta sunt.* Cum autem Fiscus bonis vacantibus ad eum devolutis hæredis loco habeatur, inde dictum dubium e vestigio corrui. *conf. l. 14. ff. d. Fur. Fisc. Ludwel. Ex. 10. Th. 5. lit. 2.*

An illicita testatoris voluntas sit exequenda.

XVI. Quod si universitati ad certam causam usufructus sit legatus, ut memoria personæ vel rei hac ratione conservetur; Procul dubio exequenda erit ab universitate Testatoris voluntas, cum res sit licita. Quid vero statuendum est, si hæc dispositio versetur circa negotium illicitum? An igitur usufructus a defuncto testatore toti corpori relictus emolumento hæredum cedit? Quod jure meritoque negandum est. Enim vero universitas non excluso consensu hæredum consilium inire debet, qua ratione voluntati testatoris alio licito modo sit satisfaciendum. *l. 16. ff. d. Us. & Usufr. leg. Struv. Syn. Jur. Civ. Ex. 35. Th. 38.* Cum autem usufructus toti corpori legatus piam causam concernat, ad alios usus nisi æque pios præter intentionem Testatoris converti nequit. Modest.

Modest. Pist. *V. 1. Conf. 54. n. 33.* Bart. *in c. l. 16. ff. d. Usū & Usufr. leg.* Quod tamen ita accipiendum est, ut usū, qui a Testatore pro pio habitus est, superstitionem aliquam aut impietatem involvente, idem in aliam causam vere piam nullumque scandalum excitantem convertatur. *c. l. 16. j. l. 4. ff. d. Admin. rer. ad Civit. pert. R. F. d. Anno 1555. §. 19.* conf. Magnif. Dn. Menck. *Tract. Synopt. Pand. tit. d. Usū & Usufr. legat. p. 429.* Quamvis autem ex principiis Juris Canonici id auctoritate Pontificis, aut alterius, qui ejus nomine Ecclesiæ præest, fieri debeat. *Clem. 2. d. Relig. Dom.* Mod. Pist. *Conf. 43. n. 38.* Protestantes tamen hoc neutriquam obligat, cum Pontificis jurisdictio in territoriis eorum plane suspensa fuerit per *Inst. Pac. Osn. & Mon. art. 5. §. 48.* Knipsch. *d. Civit. Imper. L. 2. C. 3. n. 182.* Gail. *L. 1. obs. 30. n. 4.*

XVII. Utrum universitati per præscriptionem ususfructus acquiri possit; in præsentia haut immerito disquirendum est. Antiqui JCTi ancipite Marte ultro citroque disputarunt, an universitates possidere atque præscribere possint nec ne. *conf. l. 1. §. f. ff. d. Acq. vel Amitt. Poss.* Sed eorum Sententia omnino prævaluit, qui agentium amplexi fuerunt hypotheseis; quod satis luculento Ulpiani testimonio probari potest, qui in *l. 2. ff. d. Acq. vel Amitt. Poss.* ita decidit: *Sed hoc jure utimur, ut & possidere, & usucapere municipes possint: idque eis & per servum & per liberam personam acquiratur.* *conf. Dn. Schilt. Ex. 4. §. 11.* Hinc non est dubitandum, quin hodie universitas etiam contra quemcunque superiorem jus aliquod præscri-

*Præscriptio
universitatis
ususfructum
acquiri.*

2 DISSERT. DE VNIVERSITATE

ptione sibi acquirere possit. Struv. *Ex. 43. th. 16.* Ratione temporis præscriptionis hic nihil notatu dignum occurrit, quod intuitu universitatis usufructuariz sit notandum. Notissima enim sunt, quæ tum Jure Civili tum Jure Saxonico hac ex parte disposita fuerunt. conf. Dn. Meack. *Tr. Syn. Pand. Theor. Pr. tit. d. Usufr. p. 128.* Carpzov. *P. 2. C. 3. d. 3. Roman. d. Usufr. c. 3. §. 11.* Richt. *d. Univers. c. 3. §. 21.* Losæus *d. Jur. Univ. P. 3. c. 17.* Qui auctor de modo & tempore hujus præscriptionis satis accurate sollicitus fuit. Brunnem. *ad L. 2. ff. d. Acquir. vel Am. Poss.*

*Inventarii
confectio re-
quiritur.*

XVIII. Rite igitur universitati usufructu constituto, nullum dubium superest, quin hæc quoque ad inventarii confectioem sit obligata; recte enim facient & usufructuarius & proprietarius, qualis res sit, cum frui incipiat usufructuarius, si in testatum redegerint, ut inde possit apparere, an & quatenus rem pejorem legatarius fecerit, ut verba huc applicemus, quibus usus fuit Ulpianus in *L. 1. §. 4. ff. Usufr. quem cav.* Ne utiquequam vero Inventarii confectio est absolutæ necessitatis, expresse enim in *c. l. hoc arbitrio proprietarii & usufructuarii* committitur. Quid igitur, si plane Inventarium non sit confectum? Communitas fructuaria tantum restituat, quantum in usum fructum datum fuisse probari potest. Struv. *Synt. Jur. Civ. 12. Th. 67.* conf. Roland. a Vall. *Tract. d. Invent. qu. 212. n. 10.*

*Utrum cautio
præstanda sit.*

XIX. Quod ad cautionem usufructuariz attinet; certi & indubitati juris est, fructuarium fructus suos prius non facere, quam cautionem præsterit. *l. 13. ff. d. Usufr. l. 4. C. eod.* Richt. *Dec. 19. n. 3.* Rehb. *Diss. d. Usufr.*

Ufuf. §. 15. ita ut usufructuarius in ea præstanda moram neçtens fructuum emolumento excludatur. *a. l. 24. ff. d. Uf. & Ufuf. leg.* Dn. Menck. *Tract. Syn. Pandect. Tb. Pr. 1. Ufuf. quem cav. p. 134.* Utcunque fit, univerfitas tamen usufructuaria ad dictam cautionem præstandam obligari nequit. *l. 1. §. 18. ff. Ut leg. nom. l. 3. §. 5. ff. Si cui plus quam per Leg. Falc.* Dn. Roman. *Diff. d. Ufuf. c. 4. §. 7.* cum facultatum non interiturarum præfumptio hoc in casu accedat, fatisque securitatis fit in univerfitate, quæ nunquam interire, femperque idoneis Successoribus folvendo existentibus gaudere præfuitur. *l. 2. §. 1. ff. d. Fund. dot. l. 3. §. 5. ff. Si cui plus quam per Leg. Falc.* Repromiffionem tamen Dd. hoc in casu ab univerfitatibus exigi poffe putant. *a. l. 6. §. 1. ff. ut Leg. seu fideic. nom. cav.* Ibi que *Gloff. conf. Rebh. l. c. §. 23.*

XX. Post traditionem rei usufructuariæ in administratione quoque ejusdem univerfitas tanquam persona privata confideratur. *Coedd. ad. l. 16. ff. d. V. S. n. 12. vid. Dn. Schub. Diff. d. Adm. rer. ad Civit. pert. §. 28. seq.* Et quidem Administratores rerum ad univerfitates pertinentium five Curatores bonorum publicorum fedulo operam navare debent, ut ratione rei usufructuariæ ad civitatem vel quamcunque univerfitatem fpectantis rite officio fuo fungantur. Ut ne igitur administratione Communitatibus præjudicium inferatur; haut abs re fuerit, fi idonea cautio ab administratoribus præfita fuerit. *Klock. d. Ærar. L. 2. c. 130. n. 2.* ita ut pater, cujus voluntate filius administravit, ipfo jure pro fidejuffore fit. *l. 7. ff. d. Admin. rer. ad Civit. pertin.*

Officium Administrato- rum explicatur.

pertin. Ratione rei usufructuariæ vero universitati sub conditione relicta, administratorum officium in eo consistit, ut exigant cautionem, quam si petere neglexerint, & hæres ad incitas plane redactus solvendo esse defierit; possunt omnino ad id conveniri, quanti Reipublicæ interfit. *l. ult. C. d. Admin. Rer. publ.* Si vero hæres adhuc satisfacere possit intuitu ususfructus, universitas instar pupilli optionem habet, utrum contra hæredem, an vero contra administratorem agere malit, ut hic damnum illi culpa sua illatum refarciat. *l. ult. §. pen. ff. d. Adm. rer. ad Civ. pertin.* Quod si etiam ususfructus ad certam causam universitati constitutus fuerit; administratores curam eo intendere debent, ut Testatoris voluntas licita executioni detur. Haud difficulter autem constabit, utrum administratores omnia rite expediverint nec ne, si tempore statuto rationem administrationis reddere jubeantur: ita enim mox patefcet, quomodo in administratione rei fructuariæ versati fuerint. *l. 2. §. 2. ff. d. Adm. rer. ad Civ. pertin. Los. d. Univ. P. 3. c. ult. n. 13. Richt. d. Univ. ejusd. var. Spec. c. 2. §. 5.*

Causa proprietatis deterior reddi nequit

XXI. Quamvis universitas, ut supra §. 19. deductum fuit, ad cautionem præstandam obstringi nequeat; neutiquam tamen hoc in re fructuaria eidem male grassandi occasionem suppeditat, cum jura nullo modo malitiis indulgeant. *l. 37. ff. d. Min. 25. ann. l. 2. §. 2. ff. ad Sc. Vellej.* Hinc universitas quoque causam proprietatis deteriolem facere nequit. *l. 9. in pr. l. 13. §. 4. ff. d. Usufr. §. l. 2. ff. Si Usufr. petat.* conf. Brunnem. *Consil. 94. n. 20.* Usufructuarius enim ita se gerere debet,

debet, ut tanquam bonus paterfamilias utatur fructu. *l. 9. §. 2. ff. d. Usufr.* Minime vero ita restrictum esse debet jus universitatis, quominus ea parare possit, sine quibus uti frui non licet. *l. 73 ff. c. v. Dn. Menck. Tr. Syn. Pand. eod. tit. p. 128.* Nequaquam tamen licet rem fructuariam in statum meliorem mutare. *l. 44. §. 61. ff. d. Usufr.* Brunnem. *Conf. 4. n. 14.* Cujus asserti ratio fluit ex ratione juris, quod non consistat usufructus mutata rei forma. Pinell. *ad l. 1. C. d. Bon. matern. p. 2. n. 53.* Brunnem. *ad d. l. 44.*

XXII. Ratione usufructus constituti universitates quoque jure actionis gaudent ad exemplum privatorem. conf. Schub. *d. Administ. rer. ad Civit. pertin. §. 28.* Guid. Pap. *Dec. 44.* Gœddeus *ad l. 16. ff. d. V. S. n. 20.* Gail. *l. 1. Obs. 125. n. 6.* Priusquam autem de actionibus universitati nostro casu competentibus agamus; haut abs re erit, ut moncamus, commodissime universitatem jus suum prosequi per Syndicos, qui a cæteris universitatis administratoribus in eodifferunt, quod hi negotiis extrajudicialibus tantummodo præficiantur. *tot. tit. ff. d. Admin. rer. ad Civ. pertin. l. 30. ff. d. Negot. Gest.* e diverso Syndici ad causas in judicio expediendas constituantur. *l. fin. §. 13. ff. d. Mun. §. Honor.* Ipsa universitas enim ad agendum vel defendendum vix ac ne vix quidem admitti potest; ut ne actio vel defensio per plures scissa adversarium aliquo adficiat incommodo. *l. 5. §. 7. ff. Judic. Solv. l. 2. ff. d. Exerc. Actio.* Rauchb. *P. 2 qu. 1. n. 1.* Wesenb. *Paratit. Quodcuj. Univ. n. 4.* Kœnig. *in Pract. c. 19. §.* Es wird auch. Hinc necessitate hoc postulante

te universitas ad constituendum Syndicum officio superioris cogi potest. *l. 4. §. 9. ff. d. Fideicommi. Libert.* Ita ut hic quoque universitas cum minorene pari jure utatur. *l. 3. C. d. Jur. Reip.* Ut enim minori litigaturo etiam invito Curator ad litem constituitur. *l. 1. C. Qui per. Tut.* Ita quoque universitas, cum ipsa in judicio per se stare nequeat, per Syndicum comparere necesse habet. *Struv. Synt. Jur. Civ. Ex. 7. th. 39. Garpz. P. 1. c. 13. d. 15. conf. Dn. Reinh. Diff. d. Incaut. contrab. cum unio. §. 11. §. 24.*

Quenam actiones sint applicanda.

XXIII. Syndici igitur, usufructu universitati rite constituto, uti possunt actione ex testamento contra haredem in traditione usufructus moras neccentem. Imò confessoria quoque actio utilitatem praestare potest, qua rem vindicare licet. *a. l. un. §. fin. ff. Quand. dies usufr. l. 29. ff. de Usu & Usufr. §. 2. f. d. Action. l. 5. §. 1. ff. Si Usufr. per.* Quae confessoria non solum adversus dominum locum habet, qui servitutem debet, sed sine discrimine contra omnes, qui usumfructum quocumque modo impediunt. *a. l. 10. §. fin. ff. Si serv. vind. l. 5. §. 1. ff. Si Usufr. per. Meier. c. 1. th. 9.* Quamvis vero usufructus testamento constitutus ipso jure transeat in universitatem Legatariam. *l. 29. ff. d. Usufr. leg. l. 64. ff. d. Furi. l. 50 ff. d. Legat. 2. Dn. Menck. Tract. Synopt. Pand. tit. d. Usufr. p. 128. Struv. Syntagn. Jur. Civil. Ex. 35. th. 18. Diff. Dn. Schilt. Exerc. ad Pand. 17. th. 27.* Possessio tamen in legatariam universitatem citra factum & voluntatem haredis non transfertur. *l. 1. ff. Quod Legat. l. 3. ff. d. Usufr.* Ita ut propria auctoritate possessionem obtinere nequeat. *a. l.*

a. l. 13. ff. *Quod met. caus.* Gail. l. 2. *Obf.* 45. n. 6. Sed ab hærede, ut sibi ea præstetur, petere debeat. l. 29. ff. d. *Usu & Usufr.* Bachov. ad *Treutler.* Vol. 1. *Disp.* 16. th. 3. *lit. a.* Possessionem tamen universitas non acquirit ex actibus singulorum, privatarum personarum; enimvero ex earum facto infertur tantummodo particularis, non vero universalis possessio. Ludov. Post. *Tr. d. Manut. Obf.* 36. n. 2. Imo Dd. hoc extendunt, ut ne quidem privata ista possessio profic, quamvis constet, illos particulares hosce actus possessorios exercuisse tanquam in re universitatis, & animo possidendi pro universitate. Post. c. l. n. 3. Hond. c. l. *Conf.* 17. n. 9. Secus autem res sese habet, si actus illi fuerint exerciti nomine universitatis antecedente ejus mandato. Cravett, *Conf.* 317. n. 4. Nec minus subsequens rati habitio hic sufficit, quæ cum mandato æquiparatur. l. f. C. ad *Sc. Maced.* Imo qui patitur id fieri, quod prohibere potest, & non prohibet, pro consentiente habetur. l. 18. ff. *Mand.* Hinc sciente & patiente universitate id quod factum fuit a singulis, quasi pro totius universitatis actu reputandum venit. Paris. l. 4. *Conf.* 91. n. 19. Losæus d. *Univ. P.* 3. c. 16. n. 15. Post. *Obferv.* 36. n. 7. Ex quibus omnibus satis certo elucescit, universitatem ad instar personæ civilis possidere, ac dominium exercere, nec non usumfructum sibi acquirere posse. l. 8. §. 12. C. d. *Her. Inst.* Conf. Dn. Schub. d. *Admin. rer. ad Civ. pertin.* §. 28.

XXIV. Nec minus universitati fructuaria ad legatum ususfructus consequendum actio hypothecaria utilitatem insignem præstare valet; cum certi &

*Actiones quæ
que reales lo-
cum habent.*

indubitati juris sit, Legatarios causa pignoris gaude-
re, eisque bona defuncti tacito pignoris nexu esse
obligata. *l. i. C. Comm. d. Legat.* Qua occasione non
est silentio prætereundum, ut dictæ actiones reales
instituantur, uti jam in præcedentibus quoque moni-
tum fuit, non opus esse quasi traditione, quæ in pari-
entia consistit, sed hæreditate adita solam sufficere
agnitionem, qua omnes actiones reales fructuario
acquiruntur. *a. l. 86. §. 1. ff. d. Leg. 1. l. 29. ff. d. Usu & U-*
usufr. leg. conf. Dn. Brend. Diss. d. Usufr. rei fung. §.
27. 28. 9.

Nec minus a-
ctiones respe-
ctu usufru-
ctus actu inter-
vivos constitu-
tis sunt.

XXV. Hactenus potissimum de actionibus uni-
versitati competentibus legato usufructu dictum fu-
it. Quæ actiones autem eidem tribuuntur, cum a-
ctu inter vivos usufructus sit constitutus, ex juris
principiis non difficulter judicare licet. Si enim ver-
borum obligatione Communitati usufructus sit pro-
missus, actio ex stipulatu datur. *l. 16. C. d. Usufr.* Imo
cum pacto quoque hodie sine dubio usufructus
constitui possit; tunc conditione ex moribus uti
licebit. *Eckold. 1. ff. d. Pact. §. 9.* Ut autem universi-
tas usumfructum sibi constitutum rite tueatur, tum
Possessoria tum Petitoria remedia eidem auxilium
præstabant. *conf. Dn. Menck. Tr. Tb. Pr. Pand. tit. d.*
Usufr. p. 129. §. 5. 6. Schilt. Pr. Jur. Rom. Exercit. 17. §. 25.

Usufructus
universitati
constitutus
probandus est.

XXXVI. Nunc haut abs re fore existimamus, ut
solliciti simus, qua ratione universitas se gerere de-
beat, ut usumfructum sibi competere probet. Si
ultima voluntate ei usufructus concessus fuerit; Fa-
cile jus suum fructuarium ex testamento aut Codicillo

cillo probare poterit. Si autem conventione hoc factum fuerit; ex ipso instrumento jus suum deducet. In primis autem instrumenta publica legitime facta hac ex parte fidem habent. *Gail. L. 2. Obs. 71. n. 5.* ita ut plene probent, & pro instrumento tamdiu presumatur, donec probetur contrarium. *c. 10. X. § l. 15. C. d. Fid. Instr. C. 28. X. d. Test. c. 11. X. d. Prob. Mantic. d. Tac. § ambig. conv. L. 4. T. 8. n. 27.* Nec fide destituitur instrumentum tale in copia ex Archivo productum, licet ipsum originale non suppetat. *Cacher. Dec. 69. n. 7. § 8. Schrad. 1. Conf. 5. n. 25. Mascard. d. Probat. Conclus. 512. n. 75.* Quod ratione civitatum Imperialium prejudicium quibusdam confirmat. *Chil. Koenig. in Process. c. 9. Rul. d. Commiss. P. 2. L. 5. c. 8. n. 8.* Quid vero si testibus jus suum universitas docere velit? Quod ad extraneos attinet, nullum dubium suppetit, quo minus universitas eorum testimonio uti possit. Ast vero ratione eorum testium, qui sunt de universitate, jure meritoque dubitandum est, utrum admittendi sint. Quamvis autem plures Dd. contendant, testes de universitate haud posse repudiari in causa, quæ principaliter totius universitatis commodum & utilitatem respicit. *Trentac. Res. 4. d. Testib. Farin. Cons. 60. n. 496. Carpz. P. 1. C. 16. d. 65.* Quod tamen cum grano salis accipiendum esse videtur, ita ut non plenam faciant probationem *a. l. 8. § 6. C. d. Repud. Schneidew. ad Inst. d. R. D. §. 6. n. 5. in fin.* Qua occasione haud incommode hæc quæstio sub incudem disputationis revocari potest: Utrum testes, qui sunt membra universitatis, cogi possint ad testimonium perhibendum?

Quos ad testimonium dicendum compelli non posse testantur Carpz. *L. 3. Resp. 93. n. 12. Richt. d. Univ. cap. 5. §. 7.* quia eorum quodammodo est causa propria. Ast vero cum causa universitatis alia sit, alia sit singulorum. *l. 1. ff. Quod cuj. univ. nom.* hinc præcipue eo casu, cum veritas aliter exquiri nequeat, id omnino permitendum esse haud iniquum videtur. Castrenf. in *l. 20. C. d. Test. Dn. Stryck. in Diss. d. Alien. rer. atque bonor. civit. cap. 7. n. 5. seq.* Quin si semiplene quoque universitas probaverit, ad iuramentum Suppletorium est admitenda. Anron. Fab. in *Cod. L. 4. Tit. 1. def. 40. n. 1.* Quo casu tamen Syndicus nomine universitatis hoc iuramentum præstare nequit. *a. l. 14. ff. Ad Munic. l. 97. ff. d. Cond. & Dem. Dn. Schach. in Diss. d. Juram. Suppl. §. 17. ubi c. l. 97. explicat.* Quod Jure Saxonico Elect. multo minus dubium aliquod patitur, cum universitas iuramentum præstare necesse habeat per tres aut quatuor ex universitate optima veritatis notitia gaudentes. *P. 1. Const. El. 13.* quos regulariter ipsa universitas eligit, ut tamen pars adversa audienda sit, cum alios potiore veritatis notitiam habere deducere velit. Dn. Menck. *Th. & Pr. Pand. Tit. de jurej. §. 46. p. 385.* Si quoque universitas alia probatione non sit instructa, qua usumfructum sibi competentem probare possit; tunc iuramenti delatione uti licebit, quod etiam Syndico speciali mandato pollenti non est denegandum. *l. 34. §. 1. ff. d. Jurej. Dn. Richt. d. l. cap. 5. §. 8.*

Forum rei u-
niversitas se-
quitur.

XXVII Cum autem actor rei foro sequatur. *l. 2. C. d. Jurisd. Om. Jud.* Id quoque universitati observandum est, ita ut propter usumfructum in foro rei eidem agendi

agendi necessitas incumbat. Anne vero ex *Leg. un. C. Quand. Imper. inter pupill.* sibi consulere potest, ut statim reum ad summum Principis iudicium vocare, & primis instantiis privare possit? Quod omnino negandum est; quia universitates miserabilium voce non comprehenduntur, quemadmodum in summo Provocationum dicasterio in causa des Cammers Procuratoris wegen der Schul-Porte contra den Rath zu Naumburg pronunciatum fuisse meminit Dn. Berg. *Disc. For. ad Ord. Proc. Sax. tit. 4. Obs. 9. n. 3.*

XXVIII. Denique si in iudicio universitate usum fructum petente sententia a iudice lata sit; ex iure distingvendum erit inter sententiam interlocutoriam & definitivam. Illa, quamvis communitas fuerit indefensa, contra eam obtinebit. *l. 1. §. 2. ff. Quod cui. univ. nom.* E diverso si definitiva adversus indefensam fuerit pronunciata, ipso iure erit nulla. *l. 1. C. d. Fur. Reip.* Quod si autem defensione gavisam fuerit, & proprietarius sententiam contra eam obtinuerit; tunc omnino auctoritate sua nitetur. *Guid. Pap. Dec. 279.* Id tamen extra dubium positum est, talem sententiam, etiam si in rem iudicatam transierit, rescindendam esse, si successu temporis nova instrumenta reperta fuerint. *l. 35. ff. d. Re. Jud. Everh. in Topic. Legal. a Republ. ad Pupill.* Qua ratione denique per latam sententiam laesa universitati extra ordinem per beneficium restitutionis in integrum sit subveniendum, constat ex *L. 4. C. Quib. ex caus. maj. in integr. rest. l. 3. C. d. Fur. Reip. Struv. Ex. 8. th. 6.* ita ut adversus desertam appellationem

Sententia contra universitatem lata mentio fit.

nem quoque ei restitutio non sit deneganda. Matth. d. Afflict. Dec. 175. Carpz. Resp. 95. n. 13.

*Emolumenta
rei usufructu-
arie confide-
rantur.*

XXIX. Qua ratione Communitates jus usufructus contra refractarios proprietarios probare atque defendere debeant, huc usque deductum fuit. Nunc igitur nihil superest, quam ut universitas jure suo utatur, atque emolumentis ex re fructuaria provenientibus quocunque modo gaudeat; Ita ut non tantum fructus naturales sed & civiles percipiat. *l. 59. §. 1. ff. d. Usufr.* nec proprietarius culturam & perceptionem fructuum impedire possit. *a. l. 16. l. 19. §. 1. ff. c. 1.* Quod notabili exemplo illustrari potest; in Lusatia enim Superiore prope Gorlicium certis pagis vicinis fructus in planitie aliqua inculta, die Penziger Heyde, appellata, percipere licet. Notatu digna sunt verba Dn. Grostferi in *Lausitzischen Merckwürdigkeiten. p. 5. c. 2. §. 3.* Es haben auch die benachbarten Dörffer derer daran stoßenden Adelsichen wie auch Gräflichen Promnitzischen Güter wegen alter Reccesse solcher Wiese gleichfalls zu genießen. Solcher gestalt muß also E. E. Rath die beste Nutzung dieser Heyde andern überlassen, und sich mit der Ehre der Besizung Grund und Bodens begnügen. Quod si vero universitati usufructus sit constitutus in fundo, neutiquam tamen percipere potest fructus insulæ juxta fundum natæ. *l. 9. §. 4. ff. d. Usufr.* quia insula a fundo separata est. Denique nulli dubitamus, quo minus universitati usufructuariæ tribuamus Laudemium. *l. 59. §. 1. ff. c. 1. Moller. Semestr. L. 4. c. 5. n. 5.* neutiquam tamen Emphytevtam investire poterit, hoc enim ad dominum directum spectat. *a. l. f. C. d. Fur. Emph.*
Dn.

Dn. Menck. *Th. & Pr. Pand. d. Usufr. §. 8.* Cum autem usufructuarius exclusus sit a jure alienandi rem usufructuariam. *l. 9. C. d. Usufr.* neque facultate gaudeat transferendi jus usufructus personale, quod quasi personæ ossibus perpetuo inhæret. *l. 4. ff. d. Novat.* ita ut cedi vel alienari nequeat. *Phil. l. 2. Ecl. 29. n. 4.* hoc tamen non ita accipiendum est, quasi reale jus, fructuum scilicet perceptio ad alium derivari nequeat. *l. 38. ff. h. t. Dn. Menck. l. c.* Hoc igitur exercitium usufructus, quod etiam extra personam usufructuarii subsistit, sub appellatione usufructus ad alium transferri potest. *l. 12. §. 2. l. 38. l. 67. ff. d. Usufr.* ita ut ipse usufructuarius hac ratione mediante personæ cessionarii uti frui videatur. *d. l. 12. Roman. d. Usufr. c. 5. §. 2.* Ex quibus sponte sua sequitur, in fructus quoque posse fieri executionem salva proprietate obdebita ab usufructuaria universitate contracta. *a. l. 60. §. 1. ff. d. Usufr. Dn. Menck. c. l.*

XXX. Neutiquam vero universitas in eo melioris conditionis erit, quam quicumque privatus usufructuarius, ut oneribus se subducere possit. Ubi enim est eadem ratio juris, ibi quoque debet esse eadem dispositio. *l. 32. ff. ad Leg. Aquil.* Hinc curam servandis rebus adhibere, & incommoda avertere debet. *§. 38. F. d. R. D. l. 1. §. 2. ff. Usufr. quem. cav.* Nec minus tenetur etiam tributa, salaria & vectigalia, & alia tam ordinaria quam extraordinaria solvere. *l. 7. §. 2. ff. d. Usufr. l. 28. ff. d. Us. & Usufr. leg. l. 27. §. 3. ff. d. Usufr.* Tabor *d. Metar. c. 3. n. 20.* Tributa enim sunt onus fructuum. *l. 13. ff. d. Imp. in res dot. & in vectigalibus ipsa*

Onera quoque
universitas
suscipit.

Universitas
in, cor. universitas

E

præ-

prædia non personas conveniri dicitur. *l. 7. ff. de Public. & Veclig.* Modo dicta onera fructuum quantitatem non excedant. *a. l. 30. §. i. ff. d. Leg. 3.* Hahn. *tit. d. Usufr. n. 5.* Carpz. *l. 1. R. 105.* Quicquid enim ultra eam solutum fuerit, proprietarius refundere tenetur. Richt. *Dec. 20. n. 7. 8.* Quemadmodum intuitu *der Schwedischen* Contribution a Fac. Jur. Lips. pronunciatum fuisse meminit Magnif. Dn. Menck. *Th. Pr. Pand. r. d. Usufr. §. fin.* Quid autem si universitas sit usufructuaria omnium bonorum, an obstringitur ad præstanda legata, & æs alienum solvendum? Quod jure meritoque negandum venit; dictum onus enim proculdubio hæredi incumbit, ita ut legata ante sint præstanda, nec non æs alienum ex bonis deducendum. *l. ult. ff. de Us. & Usufr. leg. l. f. §. 1. C. d. Bon. que liber.* Carpz. *l. 1. R. 104.* Ludwell. *Ex. 5. th. 10. lit. b. in fin.* Cum certi & indubitati juris sit, onera hæreditaria ad hæredem spectare. *l. 1. C. si cert. per. l. 26. C. d. Pach. Gail. l. 2. Obs. 146. n. 7.* Licet autem alii æs alienum ab usufructuario solvendum esse contendant. Bart. *ad l. f. ff. d. Usufr. leg.* hanc tamen sententiam cum jure non convenire demonstravit Præl. *in Diff. d. Usufr. omn. bonor. leg. §. 41.*

Universitatis
usufructus
finitur 100. an-
nis.

XXXI. Superest, ut nunc consideremus, qua ratione usufructus universitatis finiat. Ex communibus igitur juris principiis certum & indubitatum est, desinere usumfructum morte usufructuarii naturali, cum personæ cohæreat, & contra naturam usufructus sit, ut ad hæredes derivetur. *l. 3. §. f. ff. d. Usufr.* Imo si usufructus alicui & hæredibus suis constitutus

tus fuerit; debetur saltem primis hæredibus, ut ne ususfructus in perpetuum a proprietate abscedat. *l. 14. C. d. Usufr.* Cum igitur universitas sit persona ficta, jura sanciverunt, ut ususfructus eidem competens 100. annis expiret. *l. 56. ff. d. Usufr.* Vita enim longævi hominis, 100. annorum esse censetur. *j. l. 8. ff. d. Usu & Usufr. leg.* Cum enim universitas in perpetuum vivere præsumatur, statutum est, hoc in casu finiri vita hominis longissima, ut ne plane inutilis sit proprietas. *d. LL. Borcholt. d. Feud. c. 9. n. 5. 6. Brunnem. ad l. 56. ff. d. Usufr.* Desinit tamen nostro quoque casu ususfructus ad diem vel conditionem constitutus, ea existente. *l. 12. C. d. Usufr. l. 1. ff. Quand. dies leg. ususfr. ced. l. 16. §. 1. ff. Fam. hercisf. conf. Perez. in Cod. d. Usufr. n. 23.*

XXXII. Nec minus quasi morte extinguitur ususfructus, si universitas plane extinguatur & solo æquetur. *l. 21. ff. Quib. mod. ususfr.* Cum enim civitatum esse desinat aratro inducto ad exemplum Carthaginiis juxta *d. l. jure* quoque suo hac ratione excidit. Brunnem. *ad cit. leg.* Quod tamen ex æquitatis principiis eo restringendum est, si universitas propter delictum destructa, soloque æquata fuerit, tunc enim jura & privilegia sua amittit, ita ut, licet talis universitas superioris auctoritate destructa restauretur, pristina jura tamen sine Principis consensu haut recuperet. *Sixt. d. Regal. l. 1. c. 6. n. 48. conf. Richt. d. Univ. c. f. §. 5.* E diverso si universitas absque delicto vel hostium impetu, chasmate, incendio, terræ motu vel inundatione pereat, jura primava retinet. Klock.

Item hoc jus
extinguitur
universitate
extincta.

non in an
insh citiga
in suolam
into rubu q
utor

l.3. Conf. 47. n. 117. Quapropter dum re ædificata spiritum & vitam quasi recipit, jura quoque postliminio ad eam redeunt. conf. Dn. Ernest. *Diss. d. Melior. Resurgens. post incend. Cond. c. 2. §. 3.* Sfort. *Odd. d. Restit. in integr. 2. qu. 98. n. 25.* Rosenth. *d. Feud. c. 10. Concl. 4. n. 14. lit. P.* Bruan. *ad Leg. 7. ff. Quod cui. univ. nom. §. 8.* Eheu! hac occasione in mentem incidit tristissima inundatio, quæ sub finem præteriti anni Germania quoque nostræ provincias ita afflixit, ut plures universitates prohi dolor! impetu aquarum æstuantium misere juxta Novellarum relationem devastatæ & propemodum extinctæ fuerint. Quæ communitates jus ususfructus sibi competentis amisisse primo intuitu videntur. conf. Gail. *l. 2. Obs. 64. n. 1. 2. 3.* Kiock. *Conf. 147. n. 121.* Rosenth. *d. Feud. c. 10. Concl. 4. n. 15.* Schrad. *2. F. p. 9. pr. Sect. 9. n. 50. 74.* Sublato enim principali, accessorium quoque corrui, jura scilicet & bona, quæ ad universitatem pertinerunt. *l. 178. ff. R. F. c. 42. d. R. F. in 6.* Ast vero dictis rationibus non obstantibus in hoc casu afflictis istiusmodi univeritatibus ususfructus quoque restituendus est, cum propitio Deo resurgere, & ad meliorem fortunam aspirare cœperint, ut ne afflictis addatur afflictio. *a. Auth. Navigia C. d. Furt.* Quæ enim de facto & vi majore nullo commisso delicto fiunt, alteri detrimento esse non debent. Gail. *l. 2. Obs. 61. n. 7.* Richt. *d. Univ. c. fin. §. 7.*

Qua ratione
capitis deminutione ususfructus amittitur.

XXXIII. Non tantum morte naturali, sed quoque morte civili Civitates & universitates ususfructum amittunt. Quæ contingit capitis deminutione.

minutione maxima & media. *L. 16. §. fin. C. de Usufr.*
 Si igitur universitas in bannum declarata fuerit. *conf.*
O. C. P. 2. t. 9. §. 2. Dn. Menck. Tr. Syn. Pand. Tir. Quib.
mod. usufr. amitt. tunc quoque omnino bonorum
 usufructuariorum jacturam universitas facit. *j. cit. Ord.*
Cam. P. 3. t. 49. §. 4. §. 5. Richt. d. Univ. cap. 6. §. 5. Quia
 bannitus omnia bona amittit, & civiliter moritur.
Gail. L. 2. Obs. 86. n. 9. 10.

XXXIV. Instar mortis in universitate quoque *Quid juris sit
omnibus incolis dispersis.*
 esse censetur, si contingat, ut lue pestifera vehemen-
 tissime grassante omnes omnino incolæ moriantur,
 aut omnes & singuli de illa universitate aufugiant, &
 ultro citroque dispergantur. *Bodin. d. Rep. L. 1. c. 1. Ru-*
land. d. Commiss. p. 4. L. 2. c. 2. n. 24. ita ut tunc nullum
 dubium superfit, quo minus usufructus desinat,
 & ad proprietarium revertatur. *Schrad. d. Feud.*
2. Feud. p. 9. S. 9. n. 74. Aliter tamen res se
 se habet, si metu hostium vel ex quacunque alia
 justa causa ad tempus securitatis gratia fuga sibi con-
 suluerint, paulo post vero domum reduces facti
 fuerint: tum enim pristina jura & privilegia jure me-
 ritoque reviviscunt. *Card. Tusch. Praef. Concl. lit. D.*
Concl. 228. n. 23. Quod si universitas ad incitas plane
 redacta sit, ut unica persona in tota universitate su-
 persit; tunc tamen jus usufructus adhuc salvum
 erit, quia juxta notissima jura etiam in unica perso-
 na jura universitatis & Collegii conservantur. *L. 7. §. f.*
f. Quodcuj. univ. nom. Knich. d. Paef. Vest. P. 1. c. 2. n. 207.
Pfeil. 2. Cons. 182. n. 46. Schneidew. ad §. 18. F. d. Leg.

Nec denique silentio est prætermittendum, membra universitatis usumfructum retinere, licet veteri loco, urbe castro vel pago, destructo alibi conjunctim sedem fixerint: quo casu omnia jura & privilegia apud communitatem remanere, & ibi quasi reviviscere, expresse contendit. Ruland. *d. Commiss. L. 1. P. 4. c. 2. n. 24.* Modest. *Pist. tom. 1. Cons. 43. n. 4.*

Negligentia quoque præjudicium affert.

XXXV. Qua occasione demonstratu haud difficile esset, usumfructum quoque ab universitate amitti negligentia, cum vel non debito modo utatur. *a. l. 11. §. 1. ff. Quemad. serv. am. vel exercitium ususfructus tempore lege definito insuper habeat. l. 13. C. d. Serv. conf. Dn. Brendel Diss. d. usufr. rei fungib. §. 37. nec minus cessione extraneo facta jus istud expirat. l. 15. ff. Fam. Herc.* Cum autem hac ex parte nihil notatu dignum occurrat, quod ex instituto ad universitatem usufructuariam applicari possit; tædiosa prolixitate Benevolo Lectori nauseam haud excitabimus.

Interitu totali amittitur ususfructus.

XXXVI. Si demum oculos convertamus ad rem usufructuariam; ejusdem interitu totali sive naturali amittitur ususfructus. *l. 53. ff. d. Usufr. l. 24. ff. Quib. mod. Usufr. amitt. sive civili. a. L. 63. §. ff. Pro soc.* Quod si igitur nupera inundatione, cujus jam supra mentionem fecimus, evenerit, ut aedes fructuariae in aream sint redactæ. *l. 5. §. 2. ff. Quib. mod. usufr. amitt. vel stagna in agros versa. d. l. §. 3. l. 12. ff. eod. tit.* ususfructus omnino uni & alteri universitati olim in istiusmodi afflictis provinciis competens

petens procul dubio extinctus fuit, nisi in pristinum res educatur statum. *a. l. 35. ff. d. S. P. R.* Quod tamen aliter se habet, fundi usufructu legato, si villa inundatione diruta fuerit; tum enim usufructus non extinguitur. *l. 8. ff. Quib. mod. usufr. Dn. Menck. Theor. & Pr. Pand. c. 1. §. 2.*

XXXVII. Satis prolixè hæc jura universitatis respectu usufructus explicata fuerunt. Uti igitur universitati tanquam personæ Mysticæ usufructus constitui potest; sic quoque usum acquirere valet. *a. l. 56. ff. d. Usufr.* ita ut usus Collegio vel Civitati constituatur non in infinitum, sed ad vitam hominis longævam extendatur. *conf. Dn. Philipp. Diss. d. Usu. c. 2. §. fin.*

Dicta ad usum applicantur.

XXXVIII. Licet vero annum Legatum civitatis simile sit usufructui. *l. 8. ff. d. Ann. Leg.* Notabilis tamen differentia in eo intercedit, quod illud sit perpetuum & spatio 100 annorum non circumscribatur. *l. 6. in fin. l. 20. §. 1. in fin. cit. tit. Schnobel. Diss. ad Pand. 17. th. 6. Covaruv. 3. Resol. 9. n. 10. Dn. Stryck. d. Cautel. Testam. cap. 20. §. 27.* ita ut ejusdem præstationi ne longissimo quidem tempore præscribatur. *l. 7. §. ult. C. d. Præscr. 30. vel 40. ann. Gomez. 2. Resol. 11. n. 45.* Idem in Ecclesiis aliisque piis locis locum habet, quibus quoque datum censetur, quod ministris Ecclesiæ intuitu officii legatum est. *a. l. 20. §. 1. ff. d. Ann. Leg. l. 56. ff. d. Legat. 2.* Ita ut hoc ad omnes successores in officio devolvatur. *Dn. Menck. Tr. Syn. Pand. 1. d. Ann. Leg. p. 428. Dn. Brunn. Jur. Eccl. L. 2. c. 12. §.*

Discrimen inter usufructum & legatum annuum ostenditur.

12. §. 8. Tali annuo reditu Patres Jesuitæ Zittaviæ Patriæ meæ in bonis Ecclesiæ Oybinensibus in denem Oybinischen Stiffts-Gütern gaudent. conf. Viri Consult. Dn. Joh. Ben. Carpz. *Analect. Fast. Zitt. P. 1. c. 22.*
 §. 7. Haut abs re fore puto, ut ipsa verba Celebrissimi Auctoris ex dicto §. hac occasione inseram: Jedoch wurde wegen dieses Kauff-Nests mit Kayser Rudolpho II. Ann. 1581. anderweitiger Handlung getroffen, daß sowohl die Parres ihre jährliche Pensiones behalten, als E. C. Rath schadlos bleiben fonte, inmaßßen denn solche Abgabe biß heutigen Tages continuiret, der Magistrat aber das Eigenthum derer sämtlichen Oybinischen Güter und Zugehörigen besizet. Cur autem non in usufructu æque, ut in annuo legato, sit perpetuitas & ab omni præscriptione libera, solide explicavit Cujac. *ad l. 8. ff. d. Usu & Usufr. leg.* Cujus rationes in compendium redegit Dn. Richt. *d. Usufr. cap. 3. §. 8.*

Quo effectu
 sub feudum
 universitati
 constituatur.

XXXIX. Tanquam affinis quaestio ad huc consideranda est, quid juris sit, si universitati subfeudum constitutum fuerit? Id igitur extra dubium positum est, communitatem alteri æque habili subfeudum tribuere posse. Struv. *in Synr. Feud. cap. 6. Aph. 11.* Licet autem universitati feudum quoddam a privato per subfeudum concedi posse neget Rosenth. *d. Feud. c. 9. Concl. 45 n. 7.* Neutiquam tamen huic sententiæ ad stipulari possumus; cum enim subfeudum acquirere possint, qui æque idonei sunt ad servitia confvera præstanda. *z. F. 34. §. similiter.* Ominino quoque subfeudum

infeudatio in univerſitate locum habere poteſt, modo inde nullum damnum atque incommodum in dominum directum redundet. Schrad. *d. Feud. p. 8. c. 2. n. 13.* Dn. Schilt. *Diff. d. Subinfeud. §. 51.* Finitur autem ſubfeudum univerſitati conſtitutum, reſoluto jure Feudi principalis; notiſſimi enim juris eſt, quod reſoluto jure dantis reſolvatur etiam jus accipientis. 2. *F. 24 §. fin. l. 31. ff. d. Pign. conf. Schilt. c. l. §. 125. 128.* Qua occaſione non poſſumus non meminiſſe, univerſitates & Collegia tanquam perſonas morales Feuda quoque acquirere poſſe, quæ inveſtituram accipiunt per quaſi Vaſallos, Lehenträger, quorum morte eam renovari neceſſe eſt. Dn. Horn. *Jurispr. Feud. c. 5. §. 33. & cap. 17. §. 12. conf. Dn. Myl. Diff. d. Pro Vaſallo Th. 7. 18.*

XL. Sic igitur jura univerſitatis uſufructuariæ conſideravimus. Nunc vela contrahimus, & vota ex calidiſſimo pectore deſumpta nuncupamus, velic Summum Numen univerſitatibus in poſterum quoque ex alto benedicere, ut omnia iſtis ex animi ſententia ſuccedant! Abſit ab eiſdem omnis adverſa calamitas, ita ut ſinguli Chriſtiani cives de bono publico ſibi gratulari poſſint! Faxit quoque Summus Deus, ut univerſitates Germaniæ noſtræ vehementiſſima aquarum inundatione haut ita pridem nimio-pere afflictæ propitio Deo feliciffime reſurgant, & nova exoptata capiant incrementa! Non poſſumus non huc applicare verba Senecæ, qui in *Epift. 91.* Liberalem ob incendio deleram urbem Lugdunenſem ſumma triftitia affectum ita erigit, fore, ut melius urbs, quam

*Finis Diſſertationi impo-
nitur.*

42 DISSERT. DE VNIVERSIT. VSVFRVCTVARIA.

arsisset, sic resurrectura. Hæc ego, inquit, atque ejusmodi solatia admoveo Liberali nostro incredibili quodam patriæ suæ amore flagranti: Quæ fortasse consumta est, ut in melius excitaretur. Sepe majori fortune locum fecit injuria. Multa ceciderunt, ut altius surgerent, & in majus. Timogenes felicitati urbis inimicus ajebat, Romæ sibi incendia ob hoc unum dolori esse, quod sciret, meliora resurrectura, quam arsissent. In hac quoque urbe verisimile est, certaturos omnes esse, ut majora certioraque, quam amisere, restituantur. Sint utinam diuturna, & melioribus auspiciis in ævum longius condita!

FINIS.



CON-

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

- I. *Utilitas publica quocunque modo est promovenda.*
- II. *Vox Universitatis explicatur.*
- III. *Hic agitur de Universitate Personarum.*
- IV. *Universitates privatorum loco habentur.*
- V. *Singularis favor Communitatum proponitur.*
- VI. *Instar privati universitas usufructuaria esse potest.*
- VII. *Non tantum Judex, sed quoque privati usumfructum constituere possunt.*
- VIII. *Universitas usumfructum concedere potest.*
- IX. *Utrum usufructus Constitutio ab Ecclesie Prælati fieri possit.*
- X. *Quenam Res usumfructum admittunt?*
- XI. *Sermo sit de Feudo, Domanalibus & Regalibus.*
- XII. *Quousque Bonæ Familiæ admittant usumfructum.*
- XIII. *Ad Fideicommissum Familiæ & ad dotem sit Applicatio.*
- XIV. *Universitas acquirit usumfructum per Actum inter vivos.*
- XV. *Ultima voluntate Jus usufructus constituitur.*
- XVI. *An illicita Testatoris voluntas sit exequenda.*
- XVII. *Præscriptione Universitas usumfructum acquirit.*
- XVIII. *Inventarii confectio requiritur.*
- XIX. *Utrum Cautio præstanda sit.*
- XX. *Officium Administratorum explicatur.*
- XXI. *Causa proprietatis deterior reddi nequit.*
- XXII.



- XXII. *Syndici Jura Universitatis persequuntur.*
 XXIII. *Quenam Actiones sint applicandæ.*
 XXIV. *Actiones quoque Reales locum habent.*
 XXV. *Nec minus actiones respectu ususfructus actu inter vivos constituti sistantur.*
 XXVI. *Ususfructus Univerſitati constitutus probandus est.*
 XXVII. *Forum rei universitas sequitur.*
 XXVIII. *Sententiæ contra Universitatem late mentio fit.*
 XXIX. *Emolumenta rei usufructuariæ considerantur.*
 XXX. *Onera quoque Universitas suscipit.*
 XXXI. *Universitatis ususfructus finitur 100. annis.*
 XXXII. *Item hoc Jus extinguitur Univerſitate extincta.*
 XXXIII. *Qua ratione Capitis deminutio usumfructum extinguat.*
 XXXIV. *Quid juris sit omnibus incolis dispersis.*
 XXXV. *Negligentia quoque præjudicium aſſert.*
 XXXVI. *Interitu totali amittitur ususfructus.*
 XXXVII. *Dicta ad usum applicantur.*
 XXXVIII. *Discrimen inter usumfructum & Legatum annuum ostenditur.*
 XXXIX. *Quo Effectu Subfeudum Univerſitati constituitur.*
 XL. *Finis Dissertationi imponitur.*



VIRO NOBILISSIMO ATQUE
DOCTISSIMO

D O M I N O

JO. FRID. ETTMULLERO

ZITTAV. LVSAT.

S. D.

P R Æ S E S

D. JOANN. FRIDER. OLEARIVS. P. P.

Hactenus totis viribus id operam dedisti, ut solidam Juris scientiam TIBI acquirerer. Hinc nihil prætermisisti, quod laudatissimum institutum TUUM promovere, & TE voti compotem facere posses. Ut enim silentio præteream, TE optimis disciplinis atque scientiis instructum Studia Academica tractare cepisse, ita ut non illotis manibus Jurisprudentiam aggressus fueris; Non possum tamen non in presenti industriam Tuam atque indefessum studium laudibus extollere, quod unicuique Nostratum satis superque probasti. Meo quoque Testimonio tanquam Testis adhibens TIBI deesse nequeo: mox enim mihi innotuisti, cum in Academiam Nostram AMPLISSIMI atque CONSULTISSIMI Parentis Tui autoritate TE receperis, ita ut statim Collegiis meis tum Privatis, tum Publicis interfueris, atque in iisdem non interrupta serie admodum industriosum Auditorem usque adhuc diem TE præstiteris. Nullum igitur dubium superest, fore, ut spem Venerandi Parentis Tui

Tui impleturus paulo post ad solidiorem Juris scientiam ex animi sententia adspires. Satis luculentum egregiorum profectuum in Jure obtentorum Testimonium ex Publica Disputatione sub meo Praesidio ventulanda elucescit. Ab initio quidem animum induxeris Universitatis delinquentis Jura explanare: cum autem resciveris, olim jam hanc materiam ab aliis excussam fuisse; animum tamen non despondisti, sed Universitatem Usufructuariam publico Themate sistere hant abs re fore existimasti. Quod institutum nulla ratione improbare potui, sed potius TIBI auctor fui, ut absque mora huic labori TE applicares, & laudatissimorum studiorum Tuorum rationem redderes. Quod etiam auspiciato executus fuisti, ut nunc Eruditorum disquisitioni Thema hoc elaboratum subicere nullus dubites. Qua occasione preces calidissimas fendo, velit summus Deus ceptis Tuis ex alto benedicere, ut studia tua in hac Academia cum omnium applausu felicissime absolvas, & propediem in Usus Patrie publicos TE dispensare possis! Vale. Scrib. Lipsi D. IV. Marz.

A. O. R. M D CC XIX.



P. 940.

ULB Halle
005 362 326

3







1070

1718, 8.

DISSERTATIONEM JURIDICAM
DE
UNIVERSITATE
VSVFRUCTVARIA
CONSENSU
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
PRÆSIDE
D. IO. FRIDER. OLEARIO P.P.
PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT
AVTOR ET RESPONDENS
IOANNES FRIDERICVS ETTMULLER
ZITTAV. LVS.
AD D. XVII. MART. A. MD CC XIII.

LIPSIÆ
LITERIS IMMANVELIS TITII.

(6)